S 18256

1616
v

HYMENEIA
SOLEMNITATI NUPTIARUM
Generosi & Strenui Viri

Dn. Christophori à Nostitz

& Cunowaldau in Rademiritz
SPONSI:
Nec non
Nobilissimæ Generosæque Virginis

HELENÆ

Generosi & Magnifici Dn. JOHANNIS
à NOSTITZ de & in NOES
in Strentziniis &c. Domini,
Illustriss. Princip. Lignicensis Consiliarii
& Ducatus Wolavici Hernstadensisq; Baronatus
Capitanei laudatissimi meritissimiq;
Natæ ex ANNA-MARIA SCHKOPPIADE
heú annum denatâ grandævæ
SPONSÆ:
In arce GLOMBOWITZIA ad Strentzinium majus
sitâ 23. Februarii St. N. celebratarum
SACRA
honoriq; ipsarum scripta & dicata
à WOLAVIENSIBUS
Inclutæ domus NOSTITIÆ Cultoribus.

ANNO
MDCXVI.

LIGNICI TYPIS SARTORIANIS.

CHRISTOPHORO ET HELENÆ NOSTITIIS,

SPONSORUM PARI NOBILISS.

SACR.

UT *Stirps prisca novo fæcunda repullulet auctu,*
NOSTITIOS *sociat* NOSTITIANA DOMUS.
NOSTITIANA DOMUS, *Virtutum ipsissima Mater,*
NOSTITIOS *sociat flore & honore pares:*
Corcula bina, duarum pignora certa Sororum,
CHRISTOPHORUM EUGENIES, EUSEBIES HELENAM.
JHOVA *fave, atqve tuo rem cœptam Numine firma,*
Svave qvod est nunc, ut svave sit usqvé JUGUM.
Da generosa novo generosos jugiter auctu
NOSTITIOS *habeat* NOSTITIANA DOMUS:
Unde Tibi surgat Laus, Stirpi nobile Nomen
Splendeat, & Patriæ floreat ipsa Salus.
Certa fides. Spondet VIRTUS COGNATA DUORUM;
Spondet, cujus opus, cura paterna DEI.

M. SIMON GRUNÆUS
Ecclesiar. in Lig. & Wolav.
Ducat. Superintend. f.

Biblioteka Śląska
Oberschlesische Landesbücherei
4619081

Verè Generoso & Magnifico

Dn. Christophoro a Nostitz

& Cunewaldaw, Domino hæreditaria in Rademiritz &c.

Patrono meo singulari,

Sal. & Obs.

INgrederis thalamum (faxit Deus omine fausto)
Nostitie, itq; comes Nostitiana Helena.
Par generosorum Sponsorum hercle omnia compar:
Dignaq; Nostitio hæc, dignus & ipse Helena.
Istius laudes alii scripsêre: sed illas,
Non homo sim, si non scripsero, grati animi.
Scribam ergo versu non longo. namq; Poëtam
Prolixum esse vetant me meletæ medicæ.
Prodeat ante alias, aliarum quippe corona,
Laus veræ fidei, quâ bene mactus ovas:
Theîologusq; cluis bonus, atq; retundere vanas
Theîologôn gerras es satis hercle potens.
Nec modò Theîologôn in censu es dignus haberi:
Transscribi in censum dignus & es medicum.
Huic Aqua Nostitiana fidem pôl fecerit, illa
Quæ nuper cœpit dicier Angelica,
Si quid enim Panacæa valet, si theriaca ipsa,
Nostitius totum spiritus ille valet.

Quantum civili nunc in prudentia & usu
Te scribam Sponsum? cui merito æquiparē?
Prudens est habitus Larissæ natus Ulysses,
Quod multos mores viderat atq; domos.
Sunt tibi lustratæ latæ Germanidos oræ,
Et quæ suspiciunt Cæsaris imperium.
Cumq; Caledoniâ tibi Hybernia, terra Britanna,
Belgica quin etiam visa maris domina,
Et Gallos vidisti atq; Hesperios utrosq;,
Quà mores lingvas doctior inde redux.
His cum es versatus bissenos forte per annos
Non obiter, peregre vulgus ut esse solet.
Hinc adeo pridem passim Te fama celebrat
Cæsareæq; aulæ Principibusq; Viris.
Hi jamnum cupiunt Sibi Te ad latus esse, regendis
In populisq; Tuo consilio sapere.
Mitto alias laudes (tenuis ne grandia tentem)
Non grandis culpâ deterere ingenii.
Nostitias laudes si in versus cogere coner,
Vino hederam moro nectere more puter.
Incluta Nostitiûm gentis laus usq; virebit.
Dum fuerint nati talibus è Patribus.

Scribebam Wolâ
postridie Cal. Mart.

Gregorius Martinius D.
Physicus Wolav. ord.

Omnia

S.

OMnia, quæ vidi, sunt vana, hæc omnia vana;
Quæ Virtute carent, quæ Pietate carent.
Vanus Amor; linquenda domo, sors grata parata;
Sic Natura jubet, transit, amata cadunt.
Transit honor, generis splendor quocunq; sub axe
Transit, magna cadunt; vanus & ipsus HOMO
Ædificator erat Sugilas, & alta parabat (*est.*
Mænia, sed cecidit, Zmilus & ipse perit.
Quis Pyrrhum immanē vidit, gladiosq; Molossos?
Maurorum attegias cernere quis potuit?
Est Ajax victus, Capitolia magna Posides
Vicit; ai: In Mundo nil stabile esse potest.
Culmina villarum ceciderunt; Herculis ædem
Quis vidit? Marcet fulmine tacta rosa.
O curas hominum vanas! manifesta Phrenesis
Est, lucta & luctu velle carere suo.
Cur mea nunc tristeis Elegos fert Musa, tenellis
Corde pio, Sponsis dum pia vota dabo?
Causa subest. Vidit, quàm vana hæc omnia, stemma
NOSTITII; *vidit cum gemitu & lachrymis.*
Vixit, quæ potuit, grata ad spectacula Amanteis
Ducere Virtutis; duxit, at, heu cecidit!
Fissuram Viduus, veteris, ceu Turtur, Amoris
Heu gemuit, magno stemmate & ore cluens;

Flumina ſed ceſſant lacrymarum; Numine ſacro
Fata benigna favent, Nomine vota movent.
Fruge Cleantheâ datur en tibi teſſerula Artis,
Sponſe; datur magni filia caſta Patris.
Entheus hic Calor eſt, nil hic mortale, vireſcit
Hic Pietas, Virtus, Cura Dei, ipſa Fides.
Næ tu Gallinæ, ſic dicunt, filius albæ es:
Eſt HELENE *ingenio grata columna domus.*
Exſulta magno de ſtemmate Sponſe novelle,
Exſulta, generis lux tibi clara micat.
Quicquid habent Veneres dotis, Charites q̃ lepo-(rum,
Monſtrabunt Sponſæ lemmata dia tuæ.
Eſt ſimilis Matri tua Nympha: Ah dicere plura
Non opus eſt! Matri ſi ſimilis, pia ſat!
Famam forma parit; tibi Virtus ipſa Smaragdis
Pulchrior eſt; Virtus mellea Corda facit.
Fellea Corda facit Thalami fugitiva Voluptas:
Quod rarum, charum. Chara in Amore petis.
Nobilitas Aurum, Virtus tua gemma ſit, ipſa
Penelope Conjux: Sic torus ipſe cluet.
O par ſat fælix! Sic Virtus creſcet, Amoris
Cum Pietate vigor, cumq̃ vigore favor.
Sponſus Sindoneas veſteis contemnit; Amoris
Cum Pietate pii ſigna dat egregia.
O par Connubium! fert dotem Sponſa, beabit
Ipſa Animum Pietas, Nobilitasq̃ domum.

O par

O par sat fœlix! Sophies fert munera Sponsus. (nis!
Quàm pia Nupta Animi & Corporis aucta bo-
Restat: Vive diu, pie Sponse, hos suscipe plausus:
Vive Deo, Generi, cum Pietate, diu.
Vive diu Fautor, Marte Arte, ô maxume; vive
Arboris ut videas germina sana tuæ.
Vester Amor stabilis, fidei firmata tenore est
Ipsa fides, quantùm est tali in Amore mori!

Cum voto raptim nato obfert

TOBIAS SCHULER *Pastor & Senior Ecclesiæ Wolav.*

CHRISTOPHERUS A NOSTITS SPONSUS SORTE: I: TRACTI.

omissâ utraq; aspiratâ.

STemmata; celsa domus; fulvi auri multa talenta *Prov. 19.*
Dona equidem summi sunt preciosa Dei. *v. 14.*
Salvificæ ast fidei quæ ornata & lumine vitæ est, *Matth. 25.*
Nobilis â Domino non nisi Costa venit. *v. 7. & 8.*
Talem ego (cum fato tantũ jungantur Amantes) *Sir. 26. v. 3*
A Jovâ precibus supplicibus petii.
Multa peragrabam terrarum climata quondam,
(Invidia oh dictis omnis abesto meis)
Nulla sed è multis inventa est millibus unquam,
Tu mihi, cui poteram dicere, sola places.

Solam

Gen. 2. v. 23. Solam HELENAM ut vidi: divino Numine pectus
Casto in amore sibi vendicat omne meum.

Cant. 2. v. 14. Sola Columba mea es: mea sola Columna: meum Cor:

Pro. 12. v. 4. Sola Corona mea es; gloria sola domus.

Ps. 68. v. 13. SPONSUS ego electus divinâ SORTE; quid ergò
Addubitas patrios mecum adiisse lares.

Psal. 45. v. 11. I (nam fata trahunt) oblivia pone paternis
Ædibus: I, dio TRACTI ab amore sumus.

HELENA NOSTITIANA.
EN ASTO: ANNI LÆTI.

omissâ aspiratâ.

QUanquam nulla animum dum vivo, cura subibat
Præter amare Deum, præter amare Patrē.
Attamen adspiciens mentis Conamen honestæ,
EN ASTO, & Sponsum Sponsa Marita sequar.
ANNI sint LÆTI nobis, sint tempora læta,
Sin minus hocce solo: sint tamen usq; polo.

Ex debitæ subjectionis honore & observantiâ

deproperabam

DOMINICUS JENTSCH
Diaconus Wolaviensis.

AD

AD VIRUM

cùm Gentilitia tùm Literaria Nobilitate, officiiq; dignitate præeminentem, i. Generos. & Magnif.

DOM. JOANNEM von Nostitz de & in Noëß / Groß vnd Klein Strántz rc. Hæreditarium,

Illustr. Principp. in Silesiâ LIG. ac BREG. Consiliarium, Ducat. WOLAV. &c. nec non Satrapiæ Hernstadensis &c. Præfectum.

POST NUBILA JUBILA SUNTO.

EST lacrumis luctûiq; datum satis. indue voltũ
hinc alium; Tecum corpora cara, TUI.
Fas lugere, modum sed luctibus addere fas est.
A SUPERIS LUCTÛS LÆTITIÆQ. MODUS.
Vir animo juvenis pulcro, Vir corpore pulcro,
Vir studiis pulcris fit Gener itq; tuus.
It tibi fitq; Gener, Vir strenue, docte Vir, oris
quà se Slesiacis Sarmatis insinuat.
NOSTITIÛM *de stirpe satus, quâ Tumet, eâdem*
forte an; increscens gloria NOSTITIÛM.
Quàm bene conveniunt, nexuq; beantur honorô,
magnificusq; Socer, magnidicusq; Gener!

Quàm bene conveniunt, pactoq; jugantur amæno,
Vir-juvenis censu virgo-puella suô!
Quàm bene conveniunt, cultuq; ligantur amico,
& Pater atq; Socer, Filia-nupta, Gener!
Magnus es, & primi te jure fatentur & imi
officiis magnum promeritisq; Virum.
Sed pariter magnus Gener est, sic dotibus amplis
Fortunæ, Generis, Corporis, Ingenii.
Filia tam magni Patris non magna sit? & non
sit Matris magnæ filia magna? pol est.
Par ergo pulcrum, quos jungit NUMEN *Amantûm.*
Pulchrius ô castâ serietate nihil!

Observantiæ & benivolentiæ ergò
deproperab. Wolâ
M. CHRISTOPH. COCHIUS *Sil.*
Poëta C. & Med.

*

QUàm bene conveniunt par nobile sēper-amantûm,
tam bene convivant, sed sine fæce, dies.

INfelix HELENE Nautis Meteωron habetur;
vah! olim-pellex exitiosa viris.
Absimilem nobis HELENE se NOBILIS obfert.
evax! jam-Conjux deliciosa Viri.
Turpis eat, pereat, HELENE, sit dulcis amori.
Isce maritali sede perennet honor.

IDEM.

CHRI-

CHRISTOPHERUS A NOSTITS,
EQUES LUSATUS,
de Cunewaldaw, in Radmeritz,
Sponsus,
ante Copulationem
Sponsam suam alloqvitur
hoc anagrammate:

SISTE TE, SISTE PULCHRA
CONSORS! QVIA TUUS.

SISTE HELENE; TE SISTE toro; *Lectissima Magni*
Nata Patris! CONSORS PULCHRA *futura mihi.*
Ecce TUUS QVIA *nunc adsum, cui Numine, nu-*
A Te promissa est, sic statuente, fides. (per
Sat peregrinatus sum. vidi hinc indeq; mores,
Et populos, primo in flore meo, varios.
Portum respexi, Patriæ dulcedine ductus,
Tu merces reduci nunc mihi grata manes.
Qvippe places formâ, obseqvio, probitate, fideq;,
Moribus, ætate, & relligione places.
SISTE HELENE, TE SISTE *lubens mea* Strencica!
CONSORS
PULCHRA *domi atq; foris, Tu mihi semper eris.*

)o(

HELENA GEBORENE NOSTITSIN,
in GrosStrentz, Sponsa,
Sponso respondet Anagrammate sequenti:

EN HABES. ET IN LONGOS RETINE.

EN, qvod poscis, HABES. *sum Florentissime præstò*
Sponse, meam dextram, cor cape Sponse meũ!
Sum Tua. sum vitæ adjutrix. Tibi adhæreo soli.
Tu meus es Dominus, Tu caput esq; meum.
Linqvo invita eqvidem fratres, charasq; sorores,
Lugeo, qvod cogar vertere terga Patri.
Sed qvia fata vocant, his cur parere recusem?
Promta seqvar, qvò me tecum abiisse voles.
In patria posthac mihi mansio non erit aula.
Mutare hospitium tempus & hora jubent.
Duc me ergò tecum felici sydere; & annos
IN LONGOS RETINE! *nomen id omen habet.*

Observant. & fausti ominis ergò F.
HENRICUS SCHIDEL Budiss.
Ducat. Wohlav. ab epistolis.

Disticha duo seqventia Annum, Mensem, & diem Nuptiarum continent.

CHRISTOPHORI, & HELENÆ SOCIANTVR PECTORA PLAVSV
SOLENNI, STIRPE è prosata NOSTITIA,
en febrVI bIs Dena poLo aC Vt tertIa fVLsIt
LVX. ô hæC perstet CopVLa faVsta! preCor.

Ejusdem authoris.

Nunc

NUnc ſume blandam Melpomene lyram,
Dicenda nobis vota jugalia,
Cantanda nobis eſt venuſta,
Dulciſono modulo virago.
Quæ ſempiterno fœdere jungitur
Tœdæ jugalis, non ſine numine.
Magnum decus Magni Parentis,
Firma ſui generis columna.
Jam ſi decorum eſt naſcier incluta
De ſtirpe quemquam, vix queat altera
Terras per has nunc inveniri
Progenie ſata clariori.
Ut cui paternum ſit genus inclutum,
Germen vireſcens NOSTITIÆ *arboris,*
Fructus quod effundit per orbem,
Multiplici quoq; honore fulget.
Clareſcit Illa & Matris origine,
Quæ ſumſit ortum è SCOPPIACA *domo,*
Inſignis Heroïna, quali
SLESIA *vix ſimilem datura eſt.*
Hanc noſſe Matrem ſi libet, æmulam
Intende vultum in Filiam amabilem,

Virtute mens tali micabit,
Fulserat ut Genitricis antè.
Mores pudici nam referunt satis
Et gratiosam, & fœminam amabilem,
Pectusq; doctrinâ politum
Ætheriâ, & pietate verâ.
Celebris isthæc Relligio sua
Veriq; cultus Numinis, haud sinit
Hanc non honestatem verendam
Assidué ante oculos habere.
Sunt ista certé maxima quis neget?
Quando una Virtus en Acherontiis
Aufert tenebris, una summo
Nos similes facit esse Jovæ.
Præclara virtus quâ mihi cœteris
Præstat puellis, hæcce Viraginem
Vel sola quondam collocabit
Sedibus æthereis beatam.
Porró venustas oris amabilis,
Illé & juventæ purpureus nitor,
Si quid merentur laudis, una
Prænitet hæc aliis puellis.

Ergò

Ergò ne vultu despice tetrico,
O Christe nostras, alme precor, preces
Autore te cedant jugalis
Faustiter hæc nova cepta tædæ.
Crescat, Deus fac, NOSTITIUM *genus*
Virtute, fama, divitiis potens;
Crescat torus da prole. Matrem
Quæ recreet simul atq; Patrem.

f.

JOHANNES LIEBHOLD Juniorum Nostitiorum in Strentz Præceptor.

Biblioteka Śląska
461908 I
Starodruki